

Articulus Decimus Quintus.

De relato opere Deputationis in merito elaborandae pro Dominis Ablegatis Diaetalibus Instructionis, Punctorumque ex Parte horum Regnorum in Diaeta pro remedio ponendorum ordinatae.

I n s t r u c t i o

Dominorum Ablegatorum ad Generalem Inclyti Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum pro 6. Junij a. c. indictam Diaetam deputatorum, in Deputatione eatenus Regnicolariter ordinata, elaborata, sequitur in haec verba:

(Caeteris exmissis.)

Duodecimo. Reincorporationem Generalatus Varasdinensis, exhibito etiam in Diaetali Sessione Originali Leopoldino Diplomate, omnimode urgebunt; si tamen id per insperatum effectuari non posset, urgebunt adminus, ut omnes, quae sub Maria Theresia, et etiam Josepho II. quandocunque factae sunt e Statu Provinciali Excorporationes, respectivis suis Politicis Jurisdictionibus quantoocius vel ideo restituantur, quod Status Militaris per Excorporationes has, quo semper ulterius serpere possit, studiose tantas fecerit Inclavationes, ut jam Comitatus Zagrabienensis a Crisiensi, hic vero a Posegano, imo ipsi Districtus Comitatum Crisiensis et Veröczensis per terrena Militaria intersecentur.

Decimo Tertio. Et quia Capitulum Chasmense, cujus utilem in praestando fidei dignitatis exercitio operam Status ultro recognoscunt, per occupata a Statu Militari Bona sua injustam fructuum, quos e Bonis suis percipere debuisset, jacturam passum, precariis tantum et exilibus vitae subsidiis subsistit; urgebunt Domini Deputati, ut interea etiam, donec Commissio Incorporatoria finem sortiri possit, Princeps cum hoc Capitulo de aequivalenti interimali tractet, et id, de quo coalitum fuerit, interea donec Bona sua recipient, statim dependi curet.

Punctorum ex Parte horum Regnorum in Diaeta Regni Hungariae Partiumque eidem annexarum proponendorum, deputationaliter elaboratorum, Tenor sequitur in haec verba: et quidem sequuntur

Puncta Constitutionalia.

Cum proinde Status Hungariae, et adnexarum Partium, nunc in ejusmodi casu versetur, censetur:

(Caeteris exmissis.)

Secundo. In vicem Consilii Locumtenentialis erigatur sub Praesidio Palatini Senatus Regni, Numerus Senatorum, uti et necessarii Status Subalterni Instructio, formula juramenti, et Salaria determinantur, Individua ex omnibus